

Lubecensi anno 1188. dato, eius ciuibus confirmatum est, & iura Susatiæ appellavit ARNOLDVS LVBE-
CENSIS chron. Stan. lib. 2. c. 40. Exstat etiam diplo-
ma Adolphi IV. quo, a patre Adolpho III. concessam
Hamburgensibus immunitatem, confirmat his verbis:
 Et in reliquis iure fruantur Susatensium & Lubecensium.
 Addantur GYPHIANDER de Weichbild. Saxon. c. 80.
 n. 16. nec non auctor, quisquis sit, des Braunschweig.
 und Lüneb. Stamm- und Regentenbaums p. 65. Nec
 est, quod hoc mireris. Siquidem testibus annalibus
 Lubecensibus, in primis vrbis senatoribus occurunt,
 Dietericus de Harlau ex Westfalia, Ioannes de Kamen
 Vnnensis, Gieseberhtus ex Warendorff, Volckvvin &
 Hermannus de Susato, qui facile, ceteris ciuibus, Su-
 satensium ius vsque eo commendare potuerunt, vti
 hoc ab Henrico Leone sibi concedi peterent. Placuit
 adeo mirifice hoc ius Lubecensibus, vt, exauktorato
 Henrico Leone, & Lubeca ad ditionem coacta, ab
 imperatore Friderico Barbarossa, iura Susatiæ sibi re-
 linqui, supplicibus contenderent impetrarentque ver-
 bis. MEIBOMIVS ad annal. Wittichindi fol. 43. item
 tom. I. script. rer. Germ. p. 670. WINCKELMANNVS
 notit. historico-polit. Vet. Saxo-Westphal. lib. 4. c. 2. p. 541.
 n. 13. & 14. Recte se habent, si ita accipias DAV. ME-
 VII verba, cum in comment. in ius Lubec. qu. 1. n. 55.
 affirmat, quædam juris Lubecensis capita ex iure
 Saxonico hausta esse, cui in multis ius Lubecense adeo
 respondeat, vt secundum eius ordinem compositum,
 lucem & interpretationis præsidium inde capiat. De-
 legat huius rei studiosos MEIVVS, ad popularis mei,